



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et
Sexto Decretalium Continentvr

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Regvla XLI. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod
per eum fuerat faciendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

REGVLA XLII.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

HVjus Regulæ intellectus, quæ eadem cum 121. *Iur. Civilis secundum Dyni mentem* propriè procedit in conditione potestativa, quæ pendet ex factò legatarii tantùm, vel hæredis scripti, vel alterius, cui erat scripta. Nam si per casum aliquem impediatur à conditione implenda, debetur ei legatum, quia per eum non stabat, quo minus imperetur conditio. *l. Quæ sub conditione. tit. de conditionib. institutio- num. Ita Dynus nimis angustos limites constituens. Melius alii regulam valere putant in iudiciis, contractibus, testamentis, pœnis, & similibus. V. Vva- king. D. 3. d. 6. §. 5.*

Nam, ut exemplis confirmemus, quod iudicia attinet, non valenti agere propter impedimentum, non currit præscriptio. *l. 1. c. de annali except.* In contractibus, si actum cum Advocato sit, promissaque 100. aureorum summa pro victoria litis, debetur illi, quamvis per transactionem finita lis sit: quod per illum non stetit, quò minus ad optatum finem causa perduceretur. Idem cum proportione de mercede, & salario operariorum, & famulantium dici potest. *V. Gall. l. 1. obs. 44. n. 12.* ubi generaliter affirmat, quando salarium ex stipulatione debetur, tot obligationes esse, quot anni sunt, ideoque pro anno incepto totum salarium deberi,

ita, ut salarium initio anni solatum propter impedimentum superveniens repeti non possit. *l. 1. §. Divus. Severus. tit. de var. & extraord. cognit.* Subdit deinde, eadem ratione Professoribus non docentibus ob grassantem pestem, vel aliud legitimum impedimentum totius anni salarium deberi, quod non stat per eos, quò minus officio suo ulterius fungantur. Excipit tamen, nisi promissum sit salarium, si operæ præstentur, quod tunc existentia conditionis requiritur. Prudenter hoc, ne communi hominum iudicio, & praxi contradicamus. Quis enim hoc ævo ulli vel simplicissimo persuadebit, si operarios in vineam conduxit, ut nihil laborantibus propter pluviam vesperi mercedem persolvat? Quod testamenta attinet, in iis locum habere, patet exemplo legati supra adducti. In pœnis similiter nam sicut à culpa excusatur impeditus ab agendo, sic etiam à pœna. *l. Aliud est fraus. tit. de verb. sign. l. 1. §. Actiones autem. Institut. de action.*

II. Impedimenta legitima censentur. **1.** Morbus. **2.** Captivitas. **3.** Infectio aëris. **4.** Mors parentum, & consanguineorum. **5.** Pericula viarum, inundationes, tempestas, & similia. **6.** Defectus rerum necessariarum ad iter. **7.** Nuptiæ secundum illud, *Vxo- rem duxi.* **8.** Bellum. **9.** Causa rei publicæ.

publicæ fo insidiæ, quæ timentur, & id genus alia.

Porro, quod hæc facti sunt, non juris, probari debent ab eo, qui allegat, se impeditum fuisse. Probat autem, 1. tale fuisse impedimentum, ut removeri non potuerit. 2. Impedimentum illud in causa fuisse, ne præstaret, quod aliàs præstandum erat, adhibitamque diligentiam sufficientem, qua tolleretur. *V. Menoch. de arbitrariis. l. 2. Centur. 2. casu 118.* In multis casibus juramento probabitur. *Barb. in c. Quia propter. de elect. & c. Cum in tua. de divortii.* Excipe 1. nisi semel perjurus fuerit, juxta Reg. 8. supra explicatam. *Semel malus semper præsumitur esse malus.* Excipe 2. nisi velit impedimento suo acquirere actionem. Tunc enim juramento rejecto testes adhibendi sunt. Excipe 3. nisi agatur de gravi præjudicio. *Gail. l. 1. obs. 91. num. 5. & obs. 143. num. 4.*

III. Amplia 1. ut valeat, quamvis non suo casu, & causa, sed etiam suorum impeditus est, puta, infirmitate patris aut matris. *Gloss. in can. Omnis. dist. 23.*

2. Ut invalidam reddat excommunicationem. *Panorm. ad c. 2. de testib. cog.*

3. Sententiam cujuslibet Judicis, qui impedimentum non ignorabat.

Innoc. in c. pen. de dilationibus.

4. Ut extendatur etiam ad accessorium. Nam justè impeditus non potest condemnari ad impensas. *l. Si cum dies. §. Si quis. tit. de arb.*

5. Ut non tantum à damno præferretur, sed lucrum insuper acquirat.

Nam impeditus adire propter absentiam suam, vel filii sui, restituitur ad commodum hæreditatis. *l. Cum quidam. tit. de acquir. hered.*

6. Ut sufficiat aliquando, conditionem implere, per actum æquivalentem, cum videlicet intentus finis obtinetur, que madmodum solius declarat *VVading. loc. cit.*

IV. Pro solutione eorum quæ obijci possunt, scire oportet, Regulam hanc nulli patrocinar, qui dolose agit, vel seipsum data opera ad eludendum judicium, aut creditores impotentem reddit ad agendum, comparandum, solvendum, & similia exequenda. Item quando de re modica agitur impedimenti excusationem non admitti ex doctrina *Panorm. l. 2. consil. 5. Tiracuell. l. de iudicio in reb. minimis ferendo. V. Decium in Reg. I. C. 121. Barb. axiom. 96. 92. 159. Surdus de aliment. tit. 9. q. 29. n. 13. & seqq. Item. Consil. 298. num. 1. & Consil. 322. num. 26. Reginald. l. 23. c. 7. num. 77.*

REGVLA XLII

Accessorium naturam sequi congruit principalis.

1. Idem tenor, licet non in eodem verbis in Reg. I. C. 38. continetur.

Porro principale vocamus, quod in eodem præcipuum est, & quasi causa, seu fundamentum.